



Disputatio juridica inauguralis de testibus

<https://hdl.handle.net/1874/345223>

DISPUTATIO JURIDICA
I N A U G U R A L I S,

DE
T E S T I B U S.

Q U A M,
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academiçi consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in **UTROQUE JURE** Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examine subicit

NICOLAUS BORMAN, GORC.-BAT.

Ad diem 13. JULII, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo loc XCIII.

Amplissimis atque spectatissimis

V I R I S,

D. JOHANNI BORMAN,
Civitatis Gorinchemensis exconsuli ac
Senatori dignissimo ayo parentis loco
colendo ac venerando; tutorique fide-
lissimo.

D. ADRIANO BORMAM,
Civitatis Gorinchemensis excabino i-
bidemque quæstori vigilantissimo, pa-
truo in æternum colendo.

D. OTTO KIEN, Civitatis
Gorinchemensis Senatori experientissi-
mo, ibidemque thesaurario, Avunculo
ac tutori digna semper reverentia obser-
vando.

*Disputationem hanc Inauguralem una cum semet
ipso, ea qua par est reverentia*

D. D. D.

NICOLAUS BORMAN,

AUCT. & RESP.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS, DE TESTIBUS,

PROOEMIUM.



Veritas sæpe in profundo, velut in puteo, latet. Hinc ei eruendæ opera danda quam maxime fieri potest; sive id necessariis fiat argumentis, sive scriptis, sive testibus; de quorum testimoniis hic agendum. In testibus iudex credit alteri, in argumentis sibi. Cujusmodi sint singula, considerandum. Quibusdam creditum est injuratis propter vitæ integritatem, ut Xenocrati Athenis, Lucio Crasso Romæ, quod tamen hodie non admitteretur. Sæpe etiam interest, qualiter quis dixerit, an vacillet, an erubescat, an sponte, an rogatus, an coram iudice, an non? Nihil tam fidem abrogat testibus, quam inimicitia, vel affectus. Infames nec citandi nec audiendi. Denique in toto genere probationum quid probandæ cuique rei sufficiat, nulla recta ratione determinari potest, quam ob rem ex hac disputatione colligentur quæ obfirmant iudicis animum.

THESIS I.

Hanc materiam de Testibus, non raritate sed ipsa frequentia, ac continuo usu fori commendatissimam (sicut Ulpianus in l. 1. pr. ff. de testib. testimoniorum usum frequentem, ac maxime necessarium in iudiciis, pro Inaugurali, ait) labo-

randam, atque ex vivibus exasciendam sumpsis. Quamvis à plurimis excellentissimis, tum hujus tum præterlapsi seculi ingenii tactam eam, atque pertractatam non ignorem: ut illud Terentianum, *nihil dictum quod non dictum prius.*

I I.

Exclusus à probatione, quæ faciendâ instrumentis, non censetur propterea exclusus etiam ab ea, quæ potest fieri per testes *imb. 1. inst. 57. lit. a.* Alia datur dilatio ad conqui-
renda instrumenta, alia ad testes producendos. Sed quid si periit scriptura, aut putredine aut incendio, an non sup-
plex tum admittendus ut testetur, si petat? Ut testetur, id est, ut testes producat, quibus probat. Testari enim vox ambigua est; & tria significat, pro teste aliquid dicere, *μαρτυρεῖν*, ut dicunt Græci, testes facere id est *μαρτύρομαι, μαρτυροποιεῖν*. Per testes probare id est testato *l. 122. pr. ff. de verb. obl. §. μαρτυρεῖν* Testem olim etiam superstitem vocabant, quali qui super restetit, vel quod super causa statu proferebatur *C. Forus 10. X. de testib. Isidorus l. 18. Etymol. c. 15. Plant. Nunc mihi licet quodvis loqui, nemo hic adest superstes.*

I I I.

Testis autem est personæ quæ de facto aliquo veritatis testimonium perhibet. *l. eos qui 5. C.* Vel, quæ de re dubia ad fidem judici faciendam vocatur & examinatur. *Struv. Exerc. 18. §. 35. Lauterb. comp. jur. h. t.* Habilis & idonea sit oportet, ætate, moribus, conditione. Ut infra dicam. Romanis autem in more positum fuit, quando aliquem testem constituere vellent, aurem illius tangere, quemadmodum videre est *ex Plant. in pers. act. 4. sc. 9. ubi ait.*

— — — — — Sed ego in jus voco.

Do. Nonne autestaris? Sa. tuan' ego causa, carnufex,
Quoiquam mortali libero aureis atteram,

Hinc

Hinc & testibus, non adhibitis qui reos ducebant in jus, dicti intestati, aut, ut alii, inantestati. *Plaut. Curcul. act. 5. sc. 3.*

————— *Prob Deum atque hominum fidem!*

Hocine pacto indemnatum atque intestatum me arripi?

Et Hor. 1. Serm. 9.

————— *Casu venit obvius illi*

Adversarius: & quo tu turpissime magna

Exclamat voce: & licet antestari? ego vero

Oppono auriculam: rapit in jus, clamor uirique

Acro in notis id explicat, solebant enim testium aures tenere, & na dicere, memento, quid in illa causa mihi testis eris.

I V.

Cæterum quantum ad testes attinet, cum quæritur, qui admitti possint, dicendum, quod tantum illi, qui expresse non prohibentur, prohibentur 1. servi testimonii dictione *l. 20. §. servus ff. qui test. fac. pos. l. quoniam 11. C. de testib. Ter. in Phorm. act. 2. sc. 1. servum hominem causam orare leges non sinunt, neque testimonii dictio est.* Nisi alia probatio ad eruendam veritatem deficiat *l. 7. ff. de testib. l. ult. ff. de susp. tut. Pro domino l. 6. l. 24. ff. de testib. aut contra dominum adhiberi nulla ratione possunt, l. 7. ff. de testib. l. 1. §. 16. 19. l. 18. §. 5. ff. de question. & quidem in causis pecuniariis, licet aliæ probationes deficiant l. 1. C. de quest. in criminalibus atrocioribus contra dominos audiri & torqueri possunt. l. 53. ff. de judic. Sed liberi facti audientur super iis quæ viderunt in servitute l. notionem 99. §. 2. d. verb. signif. cum ad hoc, ut sint testes idonei, sufficiat si tales sint tempore depositionis d. l. 99. & ibid. ff. Glos. ad d. §. testes, quæritur porro, si dubitetur, num liber quis sit, vel servus? Et audiendus is erit postea habita disputatione, etsi libertatem probaverit, ejus dicto standum, quod si servus apparuerit, ejus testimonium pro non dicto habetur. *Nov. 90. c. 6.**

V.

Furiosi & mente capti non solum in testamentis vetantur esse testes, l. 20. §. ne furiosus ff. qui test. fac. pos. Sed & in aliis causis: nullum enim negotium recte gerunt. §. furiosus inst. de inut. stipul. Nam cum animi iudicio & rectitudine mentis destituantur, absentis vel quiescentis loco habentur l. fidi 2. §. 3. ff. de jur. Codicill. l. 1. §. furiosus 3. ff. d. acquir. vel amitt. poss. Idemque iudicandum de prodigo, nam nec ejus ulla voluntas l. 18. ff. qui test. fac. pos. l. furiosi 40. ff. de reg. jur. merito ergo nec testis ad testamentum adhiberi poterit, cum neque testamenti factionem habeat §. 6. inst. de test. ord. as si diceres, qui in suis ut incuriosus rejicitur, multo magis, & in alienis rejiciendus est.

V I.

Surdus & mutus in testamentis prohibentur §. testes autem inst. de test. ord., in iudiciis etiam, arg. l. in quibuscunq. 48. ff. de O. & A. l. ubi 24. de reg. jur. l. 3. §. idem D. Hadrian. ff. de testib. Verum cæcus interrogari potest, & respondere. Verius est igitur, non arceri eum testimonii dictione, exceptis causis, in quibus non sufficientibus reliquis sensibus visu opus est. l. si non speciali 9. C. de testam. Azoin l. testium 18. C. de testib. In aliis autem negotiis si contractantium voces notas habeant, admitti possunt, eorum testimonio quoque standum, si deponant de his, quæ ante cæcitatem viderunt.

V I I.

Impuberes lex Julia nominatim testes esse vetat l. 3. §. lege ff. de testib. propter infirmum consilium l. 1. pr. ff. de Minor. & quia hæc ætas ad mentiendum est facilis l. ex libero 15. §. 1. ff. de question. tum etiam quod juramentum præ-

præstare nequeant regulariter. *l. 34. §. 2. de jurej.* quo non præstato nulli fides habetur. Qui tamen puberes facti de iis, quæ impuberes pubertati proximi cognorunt recte testantur: non autem de iis, quæ vel infantes vel proximi infantiae se cognovisse putant, qua ætate impuberes, nec videre quicquam, nec intelligere censentur. *l. ult. C. de F. & fact. ignor. l. 1. inf. C. de fals. mon.* nec id abhorret a vero. In criminalibus tamen causis nominatim exigit annos 20. *jusl. 20. ff. de testib.* in civilibus annos 14. requirit, vel 12 sed quid admissum, quid intra ædes, aut ruri, aut in loco quodam devio, ubi præter impuberem fortassis nemo adfuit, an non locum tum habebit, quod apud *Senec. 7. controv. 5?* nihil puero teste certius mihi quinquenni: nam & ad eos pervenit annos, ut intelligat, & nondum ad eos, quibus fingat: prudentiæ judicis id relinquendum puto, qui caveat, ne vel ei credat nimis facile, vel eum, prorsus rejiciat.

VIII.

Olim jure antiquissimo rejectæ foeminae indistincte ob inconstantiam ingenii, sed postea indistincte in judicis admissæ, *l. 18. ff. de testib.* & etiam in criminalibus dicendi testimonii jus acceperunt. Ubi tantum ea rejicitur, quæ corpore quæstum facit, quæque adulterii est condemnata. *arg. l. 3. §. lege ff. de testib.* in testamentis non admittitur mulier testis, & nec olim nec hodie *§. 6. inst. de testam. ord. l. 20. §. 6. ff. qu. test. fac. poss.* Et nec pestis quidem tempore, si haberi possunt masculi ut scribit sic judicatum a scabinis Mechlinensibus *Christin. ad leg. Mechl. tit. 7. §. 1. n. 25. in addit. si haberi possint*, dico: si haberi non possunt, putem foeminas admitti posse, & factum foeminae intervenientibus testamentum subsistere, scilicet casu de quo loquor, & quod ad jus hodiernum. Nam quod ad jus civile, id defendi non potest, *arg. l. 8. C. de testam.* Et quod non admittantur, jam quidem apud nos, ni fallor, ratio est non alia, quam vel quod sit vestigium juris Romani, vel quod

quod masculis adhuc hodie major fides quam fœminis, fœminarum enim leve & inconstans ingenium, & quod plerumque etiam laboret adversus propria commoda. Ut Ovid.

Verba puellarum foliis leviora caducis

Ut Alii

Fœmina nulla bona est, & si bona contigerit ulla,

Nescio quo fato res mala facta bona est.

præsertim si quid sit, quod per masculos potest æque ac per fœminas probari, ut, verbi gratia, consuetudo. Quibus tamen in dubio an & quantum sit credendum prudens iudex dispiciet. *arg. l. 3. §. 1. ff. de testib.*

I X.

Lege Julia de vi cavetur, ne hac lege in reum testimonium dicere liceret iis, quorum in numero sunt, qui in vinculis, custodiave publica, qui ad bestias, ut depugnarent, se locaverunt, quæve palam quæstum faciunt, quive ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse iudicati vel convicti erunt. *l. 3. §. 5. ff. de testib. repetundarum damnati, nec ad testamentum, nec ad testimonium adhiberi possunt l. 5. ff. de testib. non obstante l. 20. §. 5. ff. qui testam. fac. furti damnati l. 1. l. 4. §. 5. de testib. de his q. not. imo damnati, si appellaverint, pendente appellatione, utpote cum non inter infames habeantur testari possunt l. 6. §. 1. de his qui not. propter turpitudinem senati moti l. 2. de senat. infames, ut loquuntur, infamia facti privant DD. testimonii dictione in causis criminalibus & arduis. Verum cum id nusquam scriptum sit impune a me contemni poterit. Quamquam fatemur non tantum fidei mereri qualitercunque notatos, quantum integræ frontis homines ferret. in *d. l. 3. §. lege ff. de testib. Duar. & Donel. cit. loc.**

X. Hæ-

in causa civitatis possit habere testimonium
 in re propria 11. ff. quard. appell. pecuniarium vero commodum
 rem propriam facit; Hinc repelluntur haeres in testa-
 mento in quo institutus §. 10. inst. de test. ord. l. 20. pr. ff. q.
 test. fac. pos. bonorum possessor l. 2. ff. de bon. possess. socius
 in causa, quam habet cum socio communem l. 1. C. de
 Comm. rer. al. Et particeps criminis l. 11. de testib. Ubi
 rejiciens talem testem ne videatur fateri crimen non di-
 ceret productum testem criminis esse socium, sed de cri-
 mine aequè infamatum. De se confessum super sociis
 minime interrogabit iudex, l. fin. C. de accusat. quod hæc
 res non sit extra periculum. Vulgo quæritur an cives

X.
 Hæretici, communes (insigniores in totum prohiben-
 tur) l. pen. C. de hæret. contra orthodoxos, nisi causa sit ar-
 dua ad reipublicæ spectans utilitatem. Testamentaria ve-
 ro eorum testimonia, & quæ in ultimis elogiis, vel in
 contractibus consistunt propter utilitatem necessarij usus
 iis permilla sunt: ne probationum facultas coangustetur
 l. quoniam 21. de hæret. & Manich. item arcetur viles, inopes,
 cum hi facile corrumpi se patiantur, ut quos famés, ma-
 gis quam fama incitat: hoc minime extendendum ad pau-
 peres cum possunt cogi ad testimonium, si modo proba-
 tæ vitæ, nec suspecti quod lucri causa contra veritatem
 deponant: non enim facultates sed mores suspectum fa-
 ciunt l. 3. ff. de testib. l. 8. ff. de susp. tut. aut nisi aliud quid
 concurrat, quod eos faciat suspectos, ut si simul & pau-
 per & producenti subjectus, vel si ei familiaris, aut jun-
 ctus vinculo affinitatis.

XI.

In re propria testis esse nemo potest l. 10. ff. de testib. l.
 10. C. eod. Propria vero causa dicitur, cujus emolumen-
 tum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet l. 1. §.
 in propria 11. ff. quard. appell. pecuniarium vero commodum
 rem propriam facit; Hinc repelluntur haeres in testa-
 mento in quo institutus §. 10. inst. de test. ord. l. 20. pr. ff. q.
 test. fac. pos. bonorum possessor l. 2. ff. de bon. possess. socius
 in causa, quam habet cum socio communem l. 1. C. de
 Comm. rer. al. Et particeps criminis l. 11. de testib. Ubi
 rejiciens talem testem ne videatur fateri crimen non di-
 ceret productum testem criminis esse socium, sed de cri-
 mine aequè infamatum. De se confessum super sociis
 minime interrogabit iudex, l. fin. C. de accusat. quod hæc
 res non sit extra periculum. Vulgo quæritur an cives

in causa civitatis possint dicere testimonium? ni fallor recte respondendum puto distinguendum esse, an ad singulos spectat commodum & emolumentum, an ad ipsam civitatem, si ad singulos non posse, ut si quaestio de praediis, aut de pascuis publicis, si autem ad ipsam civitatem, posse ut si quaestio de legatis, de finibus, aut quousque se extendat civitatis jurisdictio. Superior autem regula non solum dominum excludit in re sua, sed & venditorem in causa emptoris, cedentem in causa ejus, cui ceditur, tutorem in causa pupilli *l. qui fundum 7. §. 3. pro emptor. l. ult. ff. de testib.* patronum atque procuratorem in ea causa quam quisque orat vel persequitur, sive pro cliente sive contra eum producat: ne arcana sibi commissa pandat nec proxeneta in negotio cui adhibitus, nisi partibus consentientibus. *Nov. 90. c. 8.* Exceptio quidem est in legatario, qui tamen in testamentis non repellitur *§. 11. inst. de test. ord.* quia magis in causa heredis, quam sua testatur. *l. 14. de reb. dub.*

XII.

IX

Domestici quoque testes jure reprobantur. *l. 3. C. de testib. l. idonei 6. l. testes 24. ff. eod.* exceptio est in aetate probanda *l. 16. ff. de probat.* & in causa matrimoniali, ut si dubium sit, an matrimonium propter cognationem vel affinitatem possit contrahi *C. super eo 22. x. de testib.* Sunt autem domestici primo parentes & liberi invicem sive in potestate sive extra potestatem sint *l. parentes 6. C. eod.* Duarenus autem domesticos testes latius definit omnes qui sunt ejusdem gentis, familiae, & agnationis, quod probare non possunt satis enim aperte domesticos non jure cognationis, sed potestatis & domo leges aestimant, *d. l. 6. §. 24. ff. de testib. §. testibus inst. de testam. ord.* Socer, susceptor, nutrix, paedagogus, etiamsi nec parentum, nec domesticorum appellatione proprie contineantur, tamen non merentur fidem omnis suspicionis expertem, omni-

omnique exceptione majorem *Paul. 5. Sent. 15.* Et uxor in causa mariti & contra maritus in causa uxoris domestici testes sunt *l. 195. §. familia ff. de verb. signif. l. 4. C. de crim. exp. her.* sunt & famuli mercede conducti, quamdiu seruiunt *l. 7. ff. de testib.* Sane quantum ad fratrem, quin in causa sui fratris admitti non possit, dubitari non debet, nam & illi qui admittunt, fatentur tamen semper suspectum id testimonium, facile enim est affectu suppressi veritatem. Et ea est ratio, cur domesticorum testimonium non admittatur.

XIII.

Non solum domus, sed & amicitia & inimicitia justam præbent repellendi testis causam *l. 3. pr. ff. de testib. l. 5. C. 17. C. eod.* Et si quidem inimicitia capitales sint, statim repellitur inimicus: sin minus, auditur quidem, sed cum ad disputationem ventum fuerit, adversus eum de inimicitia excipitur *Nov. 9. c. 7.* puta si quis vitæ alicujus insidiatus, aperte alicui male dixerit, infaustas voces jactaverit *l. si inimicitia 9. ff. de his qua ut indign.* sunt tamen præterea, qui testimonii quidem dictionem habent, sed quibus invitis denunciari nequit. Lege enim julia cavetur, ne invito denuntietur testimonium adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sponsum, sobrinum, sobrinovenatum, eosve qui priore gradu sunt.

XIV.

Satis jam de iis, qui ut testes admitti possunt, ad numerum autem quod attinet, regulariter duo, ad minimum adhibendi omni exceptione majores *l. ubi 12. ff. de testib.* & integræ frontis & bonæ fidei testes ad probationem sufficiunt *Matth. 18. 16. Job. 8, 17.* pluralis enim elocutio duorum numero contenta est *d. jam l.* Hæc tamen definitio non obest, quo minus judex ex justa causa plures requirere possit *l. 1. §. ult. l. 3. §. ejusdem ff. de test.* requiruntur

aliquanto, ut in causa depositi tres *Nov. 93. c. 1.* in contractu imperiti litterarum quinque *d. Nov. c. 8.* item in probatione soluti debiti instrumento comprehensi *l. 18. C. de testib.* ut & in codicillis, aliaq. qualibet ultima voluntate *l. ult. C. de codicill. l. ult. C. de fideicomm.* duabus autem in causis septem: In Testamento §. 3. *inst. l. 21. C. de testam.* item in divitiis & repudiis *l. 9. C. de divitiis* in testamento cæci octo *l. 8. C. q. test. fac. pos.* verum erant leges, quæ, quod mirum, admittebant & amplissimum numerum, ut lex servilia repetundarum, quæ centum & viginti. Jure Gallie cautum, ne in singula capitula, plures quam decem testes audiantur *Arrest. papon. l. 9. t. 1. art. 1.* Hinc si duo litis consortes sint, qui una eosdem articulos posuerunt, quilibet illorum super quolibet articulo decem testes producere potest, atque adeo pro his duobus viginti testes adducentur. Æquum autem ne contingat, ut fiat quædam confusio, & advexandos homines protrahatur tantum testium multitudo in infinitum, si sit nimius; tandem iudex coërceat *l. 1. §. ult. ff. de testib.* Nam quod legibus omissum est, religionè judicantium id omitti non debet *l. quæsitum 13. ff. de testib.* & si quaeratur, quis nimius, effrenatam multitudinem, si plures admittantur, quam quadraginta ait pontifex. *Cap. cum causam ext. de testib.*

X V.

V I X

Unus non sufficit *l. 9. §. 1. C. de testib. Numer. cap. 35. vers. 30.* Unus non auditur, & ne indicium quidem facit ad torturam sufficiens, etiamsi sit vir illustris, nisi alia etiam indicia & argumenta concurrant *d. l. 9. l. 19. C. de rei vindict. l. 15. C. de jur. dot.* facilis enim est unius lapsus nam vox unius, vox nullius. Laudatur proinde modestia q. scævola, qui cum in reum productus, respondit, quod salutem, periclitantis magnopere læsurum videbatur, discens adjecit, ita sibi credi oportere, si & alii idem asse-

verassent, quoniam unius testimonio credere res, pessimi
 esset exempli *Val. Max. lib. 4. c. 1.* Aliquando & unius af-
 fertio, ut si ille solus sit instructus de negotio, de quo quaeri-
 tur *l. 14. ff. de dot. prael.* vel si de terminis fundi controvertitur
l. 12. ff. de fin. regund. ut etiam tabellioni affirmanti, testa-
 mentum à se scriptum creditur *gl. ad l. 9. C. de testib.* uti
 & apparitori asserenti officium a se peractum. Quid au-
 tem si pugnent, pares numero & auctoritate & actoris
 & rei testes? dicendum jam in dubio pronuntiandum pro
 reo, & rem habendam perinde, ac si neuter litigantium
 adhuc quicquam probasset. *arg. l. 125. ff. de reg. jur. l.*
4. C. de edend. l. 88. ff. de reg. jur.

X V I.

Qui vult testes producere, ne fatiget se frustra, &
 faciat sumptum inutiliter, necesse est, circumspiciat ut
 adducat idoneos & nominatos, nam necesse est eos no-
 minare, ut iudici, qui citandi sint, constet, nam non
 citati, qui accedunt, ut subornati, suspecti sunt, nec fa-
 cile admittuntur, nisi aliud suadeat res ipsa ob inopiam
 probationis. Citatio ut sit valida, necesse est, ut con-
 tineat nomen testis citati, nomen iudicis citantis, nomen
 cujus rogatu sit, causam ob quam sit, locum & tempus.
 Jussu iudicis competentis illa sit per apparitorem seu
 nuncium ipsi testi, vel si ille absens, ad ejus domum do-
 mesticis, vel etiam vicinis, ut citatus possit scire, cur
 vocetur, & ad quid, & secum interim diligenter quæ-
 dicenda perpendat. Et ubi facta est citatio, necessario
 veniendum est, nec impune est non venienti, nisi justum
 impedimentum sit. Sicuti milites, fenes, valetudinarii,
 reipublicæ vel alia justa causa absentes, publicani, qui
 quid exercitui præbendum conduxerunt, inviti, evocari
 nequeunt *l. 3. §. ult. l. 19. ff. de testib.* Hi excusantur quoad
 hoc ut inviti non possunt cogi, venire ad iudicem, sed
 iudex ad eos mittit domique erunt interrogandi *C. quis te-*
stium.

stium §. x. de testib. si inviti producti sint non ultra quindecim dierum spatium morari tenentur, intra quod si non examinentur, impune discedent *l. pen. C. de testib.*

XVII.

Quantum ad productionem testium, testes ipsos producendos esse, nec sufficere prolata iudicio testimonia, cum iudex optime ex testium præsentium constantia vel vacillatione, aliisque circumstantiis videre & animadvertere possit, an causam dicti & scientiæ suæ reddere queat, & testis qui dictorum nullam reddit rationem, dicitur testari, tanquam pecus Melibæi *jas. ad. l. 8. de transact.* & quantum fidei ipsis habendum sit. Adhibita tamen distinctione, nam in causis criminalibus omnimodo ipsi producendi sunt, in civilibus vel evocari possunt ut coram interrogentur, vel in alia provincia examinari *l. 16. C. de testib. Nov. 90. c. 5.* ut deinde depositiones transmittantur *l. 18. C. de testib.* Ratio alioquin habetur, & sumptus facti inter, & ut volunt emolumenti, quo quis caret interim ob absentiam, præsertim si evocetur, qui ex operis diurnis, & se & uxorem & liberos debet alere, ne alioquin officium ei damnosum sit. Producens autem testes offert scripturam, qua continentur articuli, quibus examinari testes desiderat, in scriptis ut fiat utiliter tum ratione producentis, ut iudex non interroget de iis, quæ ad causam non pertinerent, tum ratione adversarii, ut se possit præmunire contra intentionem producentis & formare interrogatoria.

XVIII.

Examinandi porro testes secreto, clam partibus, & seorsim singuli, voce, non per scriptum, ut ex circumstantiis de fide dictorum magis constare possit. Præmissio juramento de dicenda veritate, quia testis injurato non creditur *l. 9. C. de testib.* potest tamen hoc juramentum remitti
à par-

à partibus, cum partium gratia sit inductum, cui renun-
 ciari potest *C. fin. u. eod.* licet aliud obtineat in juramento
 calumniæ, quia respicit publicam utilitatem, sc. ne ca-
 lumniose lites protrahantur: & ut postulans præstet jura-
 mentum quod neque per se, neque per alium testificata
 subtraxerit, vel didicerit, nec per dolum aut artem ali-
 quam, quartam productionem exposcat: sed quia quos
 producere desiderat, prius habere nequiverit. *Nov. 90.*
de testib. §. quia vero. Cæterum fit examen à iudice, & exa-
 minantur in iudicio: alibi si id fiat, nullius momenti est.
 Examen autem fit super articulis, id est, capitulis ipsius
 negotii controversi ab actore prolatis, & quia certi sunt
 articuli, ad quos testes examinantur, quod ultra eos di-
 ctum est, nullius momenti erit. Addere potest reus inter-
 rogatoria, ut facilius appareat subornatio, si qua subsit.
 Nam & quamvis id receptum, quod ante litem contesta-
 tam reus interrogari possit, per certos articulos per ver-
 bum credit vel non, cogi tamen non potest, ut respondeat,
 quod non vult, aut plus respondeat, quam vult.

XIX.

Peractis testium productione & examine, fiunt testifi-
 cationum publicationes partibus citatis *Nov. 9. c. 4.* post
 quas admittæ, testium & testimoniorum reprobationes
Auth. si testes C. de testib. Nov. 90. c. 6. quæ multis ex causis
 fiunt; quemadmodum quod testes sint inidonei, ex ami-
 citia, vel inimicitia suspecti ex ea lite damnum metuentes,
 lucrumve sperantes, sibi ipsis, vel sibi invicem contradi-
 centes, aut vacillantes, aut singulares, aut non recte pro-
 ducti vel examinati &c. Quæ omnia per testes probare
 post publicationem testimoniorum, nihil impedit. Quan-
 ta vero fides testibus productis, quanta ipsis reprobationi-
 bus habenda sit, iudicis providi ac circumspecti erit. *Testi-*
matio l. 2. 3. ff. de test. qui in genere magis credit iis, qui
id deponunt, quod naturæ negotii convenit l. 21. §. ult. ff.
 48

de testib. pluribus quam paucioribus, affirmantibus quam negantibus dignioribus quam humilioribus, senioribus quam junioribus, masculis quam foeminis oculatis quam auritis l. 3. l. 21. ff. *de testib.* l. xli. C. *de fid. instrum.* Nov. c. 1. Sed puto rectius iudicis arbitrio & prudentiae relinqui, quia iudex iudicabit secundum ea, quae rei aptiora, veroque proximiora esse comperit, litemque sua pronuntiatione decider.

COROLLARIA.

I.

In testamento contractus celebrari nequit.

II.

Dominium traditione acquiri non potest, absque possessione.

III.

Donatio revocari non potest ob liberos postea natos.

IV.

Mulier potest esse testis in codicillis.

V.

Tutor ob latam culpam non fit infamis.

F I N I S.